





11  
17  
IO. CHRIST. ESCHENBACH,

PROF. IVR.

ET ACAD. PRORECTOR,

DIES FESTOS

RESVRRECTIONEM

SALVATORIS MVNDI

IN MEMORIAM REVOCANTES

PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.

---

IVNCTA SVNT

DVBIA IN APPLICATIONE ART. CXVI. C. C. C.

OBVENIENTIA.



---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.




JO. CHRISTI RESURRECTIONE  
PROL. IAR.  
ET AED. PRORECTOR.  
DIES VESTOR.  
RESURRECTIONEM  
SALVATORIS MUNDI  
IN MUNDI ETERNANTES  
PIE CETERRANOS  
COMMENDAT.

---

VINCITA SATUR  
DILEXIT ALLEGATIONE ART. CHURCE  
CHURCHIA.

COLLECTORI  
LIBERIS AD LIBRARIUM



D V B I A  
IN APPLICATIONE ART. CXVI. C. C. C.

O B V E N I E N T I A .

§. I.

Recentiores, quotquot euolui, Iuris criminalis interpretes in explicando art. 116. C. C. C. a verbis legis recedere non dubitant: in eo omnes fere consentientes, licet in quibusdam assertis minoris momenti haud concordent, quod I. praeter tres species monstrosae veneris, quarum in lege expressa fit mentio, duae adhuc sanctione ista poenali comprehendantur, venus scilicet praepostera cum mulieribus, et onania<sup>a)</sup>, quam et sodomitiam impropriam nominare consueuerunt; II. quod poena ignis in lege praescripta tantummodo in sodomia generis locum sibi vindicet, in sodomia sexus contra gladius substituendus sit, et sode-

miae impropriae poena sit arbitraria; III. quod lex Mo-  
saica, animal, quocum scelus commissum, interficere iubens,  
in usum sit reuocanda. Ita inter alios docent KRESS ad h. a.  
LEYSER Sp. 589. MEISTER §. 297. sqq. KOCH §. 342. sqq.  
BOEHMER ad Carpz. Qu. 76. Obs. 2. 3. 5. et in Meditat. ad h. a.  
QUVISTORP §. 497. et PÜTTMANN §. 650. sqq.

a) Huius pariter plures recensent species; sed quum distinctam notio-  
nem haud suppeditent, in generali denominatione substitere praestat.

### §. 2.

Quod litteram legis derelinquant, nemo vitio vertet,  
qui methodum ac rationem, Constitutionem Criminalem Caro-  
linam interpretandi, perspectam habet: iustum interim semper  
interpretationis restrictiue vel extensiue fundamentum adsit,  
necessa est, nec sanctiones, quae displicent, pro lubitu ne-  
gligere fas est. In hoc fundamentum si ulterius inquiramus,  
vbique usus fori eam in rem allegatus reperitur. Quum hoc  
argumentum, cui alio tempore dicam iam scripsi, admittere  
non possim; et, si quid recte video, exempla fere omnia re-  
centiora rerum iudicatarum ab usu fori, qualem Doctores asse-  
rere non dubitant <sup>a)</sup>, multum differant: mecum perpendere  
coepi, ad quae potissimum principia doctrina de crimen so-  
domitico revocari debeat. Si quando ad legem duram re-  
dire constitui, animum semper reluctantem sensi: nec tamen,  
quae se obrulerunt dubia, illico eliminare valui. Sententiam,  
in qua tandem substiti, hoc scripto proponam: videant alii,  
an huic tramiti inhaerere malint.

<sup>a)</sup> Sci-

a) Scilicet ex iis, quae mihi innotuerunt, exemplis sodomiae propriis recentioribus nullum omnino poenam capitalem comitem habuit: sed aut caussae mitigantes qualesquales poenae arbitriae locum derunt, aut principis gratia, suadente id ipsum iudice inquirente, refugium exhibuit. Et licet, qui educandae iuuentuti nostris temporibus operam dant, de frequentia peccatorum secretorum, ut loqui amant, multum, forsan nimium, conquerantur, cognitionem tamen iudicialem ullibi coepitam esse haud comperi. Recte omnino, si ea, quae iam tradam, veritati consentanea sunt.

### §. 3.


Vlteriori disquisitioni viam parabit inspectio, vndenam dispositio Constitutionis Bambergensis et Carolinae hausta sit. Ius Romanum nonnisi paederaffiam punire iuber; ius Canonicum contra generaliorem flagitorum, quae sunt contra naturam, mentionem facit: vtrumque autem expressis verbis ad Ius Mosaicum prouocat, Nov. 77. c. 1. Nov. 141. c. 1. C. 12. c. XXXII. qu. 7. quod sodomiam cum animalibus atque masculis commissam prohibet, et huic delicto pariter ac recentius mortis poenam minatur, Exod. XXII. 19. Lev. XX. 13. 15. 16. Dubium itaque non erit, articulum 116. ex Iure Mosaico, cuius capita complura tempore conditae Constitutionis Bambergensis et Carolinae Christianos adhuc obligare credebantur, deriuandum esse.

### §. 4.

Opinio de vi obligatoria legum quarundam Mosai- carum per plura saecula assensum facta est, nulla ferè contra-

A 3

dictione



ditione infirmatum; praesertim quum postea accederet dogma de legibus diuinis positivis vniuersalibus, quibus et sanctiones poenales, quae commixtiones incestas et contra naturae ordinem factas prohibit, annumerare consueuerant. Mirum itaque non est, tunc temporis paucos iustitiam legis sub examen vocasse, quae diuina reputabatur, et, si quis vñquam in eiusmodi meditationes incideret, eundem dubia sua aegre publicasse, quum impietatis et haereseos notam auertete vix potuisset. Meliora vero nunc edocti sumus, eaque publice profiteri licet. Non dari leges positivas diuinas vniuersales, nec nos legibus Mosaicis amplius teneri, probatum dederunt plures, ex quibus HANNESEN *de nonexistentia legum diuinarum positivarum vniuersalium*, MICHAELIS *von den Ehegesetzen Moysis*, §. 22. et LESS, *christl. Moral* §. 50—53. nominandi sunt. Quae doctrina, sicuti in pluribus capitibus iuris criminalis effectus prodit, MALBLANC *Geschichte der peinl. Ger. Ordn.* §. 55. ita etiam nos faciles commouet, ne intuitu poenae capitalis sodomiae adscriptae legem exacte sequamur, quam errori superstructam esse nouimus.

### §. 5.

Afferto huic sequentia adhuc monita adiicere placet.  
**I.** Non plane nouus et insolitus est in iure criminali hic argumentandi modus. Eadem ratione negligimus articulum 104. C. C. C., magos atque sagas capitris poenae subiicientem, quoniam errori innititur, licet non minus iuris Mosaici autoritate fulciatur, *Exod. XXII. 18. Lev. XX. 27.* Quare,  
quod

7

quod in magia licet, in sodomia prohibitum iudicemus? II.  
Non omnino extra dubitationis aleam positum est, an ius Mo-  
saicum mortis poenam exigat. Observat EICHHORN in der  
*Eint. in das A.* T. §. 433—439., quod vero ad modum videtur  
simile, quatuor priores libros Mosis esse lacinias diuerorum  
scriptorum diuersos fetsan autores agnoscentium, et Mosi  
ipsi nonnisi quintum librum, cuncta, quae ad omnes reipu-  
blicae Iudaicae ciues spectabant, continentem, certo adscribi  
posse. Quum itaque in hoc quinto libro, quod etiam sodo-  
miam sexus silentio praeterit, poena capitalis prohibitioni  
addita non sit, *Deut. XXVII. 21.* illaque etiam *Lev. XVIII.*  
*22. 23.* adiecta haud legatur, vtraque sententia ex hoc iure  
defendi potest. III. Nec obstat, quod vrbes Sodomam et  
Gomorrah immediata Omnipotentis vindicta propter hoc  
crimen funditus eversas dicant: relatio enim Mosaica haud  
continet, illas huius praecise delicti causa extinctas esse: et  
testimonia recentiorum temporum nil probant. Vt racciam,  
me quidem iudice factum, quod *Genes. XIX. 5.* narratur,  
non tam libidinis effrenatae, quomodo enim, quaeſo, omnes  
incolae ciuitatis, senes atque iuvenes, eadem illico et simul  
corripi potuerunt, quam iniuria et hostilis animi erga pere-  
grinos ignotos indicium exhibere. IV. Quac in nouo foedere  
reperiuntur dogmata, sodomiam sexus improbantia, *Rom. I.*  
*26. 27.* *I. Cor. VI. §. 10.* poenam capitalem haud exposcent,  
sed solummodo euincunt, peccare, qui hoc maleſicio se  
polluunt,

§. 6.



11. s. enteibui amicidioq. 6. pot. n. cap. viii. si hanc  
 vel alia de morte uulnus a mordetibus eximis soli  
 t. Instabis forsitan ea, quae argumento legis diuinæ poli-  
 tiuae vniuersalis defendi nequeunt, aliis rationibus idoneis  
 comprobari: verum mihi eiusmodi rationes hucusque hand  
 innoverunt. Dicunt quidem I. hoc delictum *contra naturam*  
 committi, qualloquitione iam usus est PAULLVS, Rom. I. 27.  
 quamque postea retinuerunt Nov. 77 c. 1. et C. 13. c. XXXII.  
 qu. 7.: ast, quamcunque demum sensum his verbis aequiu-  
 ois et vagis tribuas, necessitatem poenae capitalis non de-  
 monstrabis. Qui vel iuri naturali haec delicta aduersari cons-  
 tendunt, HANNESEN l. c. §. 74., vel horrorem naturalem ad-  
 esse statuunt, vel naturae ordinem perverti asserunt, licet haec  
 omnia concedamus, huius enim non est loci has assertiones  
 sub examen vocare, qualitatem poenæ tamen his argumen-  
 tis stabilire frustra allaborant. Obiiciunt porro II. *abusum*  
*genitalium*; sed hunc abusum membrorum corporis flammis  
 expiandum esse, minime consequitur. Manu abutitur, qui  
 eandem ad operas inutiles adhibet, sed haec actio sola spe-  
 cialia delictum non est: lingua abutitur, qui calumnias diuulgat,  
 aliorum famae et tranquillitati nocivus; sed rogo non imponi-  
 tur, licet damnum exinde ortum longe superet mala, quae  
 sodomitiam comitantur. Cur vero abusum genitalium longe  
 seuerius puniendum credamus, quam abusum manus et lin-  
 guae? Complures consentientes habet III. ANT. MATTHÆI  
 de criminibus, qui Lib. 48. Tit. 3. Cap. 6. §. 8. huius criminis  
 reos, quantum in se est, spem hominum interficere tradit. Sed nescio,  
 an unquam aliquis conclusionem adiecerit, *aequum fore, ut,*  
 quum

9

quum sicario , qui hominem vel unum occidit , moriendum sit , saepius , si rerum natura pateretur , moriantur , qui libidinibus suis tot homines occidunt , tantum seminis nefarie profundunt . Miror sane , virum aliquo eruditum insignem inconsequentiam haud vidisse , quae , vt reliqua silentio præteream , eodem modo omnes , qui in caelibatu viuunt , vxorem decrepitam ducunt , tardius matrimonium ineunt , caet. capite damnat , quum aequali modo spem hominum interficiant . Plura huius indolis argumenta , quae passim allegantur , recensere superfluua duco .

§. 7.

Abrogationi poenae capitalis non modo assentit HOMMEL in *Rhapsodia* , Obs. 441. sed quoque sodomitam ex delictorum etiam leuissimorum numero eximendam et ab omni poena liberandam censer . Ast viro celeberrimo accidisse videtur , quod in disceptationibus eruditorum haud raro accidit , vt , qui rectam viam indagat , formidine nimia regressus in partem oppositam aberret . Intermedia scilicet sententia potius præferenda est , cuius rationes nunc exponam : adscripti interim argumenta Hommeliana a) , vt quilibet comparatione instituta dijudicare possit , quantum ista valeant .

- a) Atrocissima delicta sunt , quibus securitas immediate et graviter perturbatur , vt perduellio , latrocinium , incendium , rapina , beneficium et omne homicidium studiose et præmeditato animo commissum . Contra vero furtum simplex , sacrilegium , blasphemiam , homicidium haud præmeditatum , adulterium , bigamiam , crimen de residuis philosophus , adeoque etiam pius Iustus , inter atrocissima delicta

¶

non retulerit, unde delicta intermedia diei possunt. Ab his distinguis leuissima, quorum poena ad corporis afflictionem non ascendit, v. c. magiam, stellionarum, falsum, iniuriam. Stuprum autem, quod volenti fit, sodomia, ebrietas, incestus, dardanariatus, fornicatio, lenocinium, concubitus cum Iudea, ambitus, simonia, concubinatus, onaniae peccatum, aut si vidua intra annum luctus nubat, turpitudines sunt, non crimina, quia nemo bis factis laeditur. Nempe quo pudor vetat, iniusta dicti non debent, tri e contrario iusta quedam sunt nec decora tamen. — Possimus iterum viuum seu turpitudinem a peccato distinguere. Vixit nempe, ut tam super dictum praecpta decori violat; peccatum autem est actus solis diuinis legibus contrarius, per quod nemo laeditur, unde illud a sacerdotibus potius quam magistratu emendandum. — Videant sapientes legislatores, an in turpicula gladio et igne animaduerti consultum sit, aut secundum rectae rationis dictamina malo afficiendus videatur, qui reipublica matum non intulit, nec quemquam in ea laesit. Eximamus turpia facta pariter atque theologica peccata criminum fabulis. Origines ciuitatum memoria repetens admoneor, primis temporibus homines speluncas deseruisse, et in quandam societatem sub principe coiuisse, ne quisquam nec laederetur nec laederet, neguquam vero, ut princeps mores aut *περὶ τοῦ ιησοῦ* doceret.

§. 8.

His praemissis primum delicti notio definienda est, quoniam variis locorum scriptis edoceamur, eandem iusto magis extendi. Quantum quidem I. ad concubitum hominis cum bruto, et II. ad concubitum maris cum mare pertinet, nullum dubium intercedit. Licet enim prior in iure Romano hoc non referatur, sed in §. 4. I. de publ. iudic. et I. 31. C. ad

ad L. Iul. de adult. nefandae tantum libidinis cum masculis  
 mentio fiat; Constitutio tamen Carolina ius Romanum im-  
 mutauit, hanc speciem secundum placita juris Mosaicis sup-  
 blens. Maior autem III. dubitatio suboritur circa tertiam  
 speciem in legē Carolina superadditam. Hanc non modo  
 ius Romanum aequa atque Mosaicum ignorant, sed et ipsa  
 res vix concipi et explicari posse. Complures iuris criminis  
 doctores de recta idea aut parum solliciti aut desperantes le-  
 ctorem absque omni declaratione dimittunt, KRESS ad h. a.  
 MEISTER §. 297. KOCH §. 442. Alii concubitum indigi-  
 tari credunt, qui clitoridis solito maioris opē perficitur, SCHV-  
 RIGII muliebria, Sect. 2. cap. 2. §. 17. sqq. sed quum rarissi-  
 ma dicantur exempla clitoridis eousque excrescentis, et legis-  
 latores ad casus insolitos haud respiciant, haec interpretatio  
 legis non placet. Alii vero huic concubitum ope instru-  
 menti artificialis peragi credunt, BOEHMER ad h. a., quorum  
 sententiam adiuuant, quae de tribadibus et fellatricibus Roma-  
 norum vulgo perhibentur: at a me impetrare non possum,  
 vt asserto fidem praebeam, cuius notionem distinctam mente  
 concipere nequeo, praesertim quum loca veterum auto-  
 rum alium adhuc sensum recipere videantur, et lasciviam istam  
 tempore conditae constitutionis Bambergensis et Carolinae  
 Germanis parum cognitam fuisse credam. Addunt IV. in-  
 terpretes adhuc venerem praeposteram maris cum foemi-  
 na, eodem, quo cum masculo sit, modo exercitam. Negari  
 nequit, inter utramque nullam intercedere differentiam, qua-  
 lemenque demum rationem prohibitionis in paederastia sup-  
 ponas: silentium itaque Carolinae explicatu difficile est. Vnde  
 prius



et interpretes , licet ratione poenae concordes non sint , rem ipsam tamen interpretatione extensiua supplendam esse , vnanimi fere consensu docent . Quum exactam inter virumque factum conuenientiam confiteri oporteat , coniecturae locum relinquere liceat ; Constitutionem Carolinam ad locum PAVLI Rom. I. 26. et C. 14. c. XXXII. qu. 7. respexisse , et explicatione incongrua loco veneris praeposterae concubitum foeminae cum foemina substituisse . Lubens quidem largior , eam ad maiorem evidentiae gradum perduci vix posse : eamdem tamen assertis , quibus luculenta non inest notio , praeferrandam censeo . V. Onaniae species , quas sub nomine sodomiae impropriae vulgo comprehendunt , perperam hoc referri existimo . Art. 116. C. C. C. nullam prorsus earundum mentionem facit : ius Mosaicum aequa ac Romanum de iisdem filet , licet denominationem erronee ex priori mutuauerint : nec expeditum videtur , an omnino consultum sit , has actiones ad tribunal iudicis criminalis trahere . Mihi itaque permittere non possum , ut a regula fundamentali iuris criminalis discedam , quae delictum non agnoscit , nisi adsit lex prohibitiua poenalis . Accedit , tum quod propriae tantum sanitati , nec semper noceant , aliis contra praetudicium haud inferant , eiusmodi vero via ad forum criminale evocari non soleant ; tum quod securitati ciuium damnum irreparabile immineat , si iudicii permittamus , pro arbitrio et absque auctoritate legis inquire atque punire . Consentit H U B E R in praedict. iur. ciu. ad Tit. Pand. Lib. 48. §. 12. a)

Reiecta itaque distinctione sodomiae , qua in propriam et impropriam dispescitur , eam dicamus concubitum aut cum bruto

bruto aut praepostere factum : huicque posteriori cognomen sodomiae sexus, quamvis exacte non quadret, imponamus, quam iam receptum sit, et nouae denominationes raro omnibus probentur.

- a) Quae de concubitu cum mortua, caet, vulgo addunt, quum vel fabulae sint, vel aliam ob causam hue non pertineant, silentio prætereo.

### §. 9.

Deuenio nunc ad quaestionem principaliorem : *Qualis poena huic delicto statuenda sit?* si poena ordinaria in art. 116. præscripta seruari non potest, neque tamen omnis poena cefsat. Sublata poena ordinaria succedere arbitrariam dubio careret : non item, quaenam eligenda sit. Tutius videtur, gradum eius ex; damno metiri, quod in rempublicam aliquos inde redundat. Hoc principium, si I. ad sodomiam generis applies, illico patet, eam ad delicta leuiora pertinere. Reipublicae tranquillitatem haud turbat, iura imperantis intacta reuinquit, neminem ciuium iniuria afficit, sola morum corruptio inde metuenda illam ab omni poena eximere dissuaderet. Committitur plerumque a personis vilioribus et minorenibus, qui instinctui naturali alia ratione satisfacere desperant, et commiserationem potius quam poenam merentur. Carcerem itaque breuiores, verbera, aut, si ita visum fuerit, mulctam sufficere putem, nisi iteratio aut seductio aliorum augmentum exigat. II. Poenam veneri praeposterae conuenientem, siue cum mare exerceatur siue cum foemina, determinare non audeo, quum a quaestione medica dependear, qnam nondum satis expeditam

nuenio. Ante omnia scilicet explorandum erit, num haec actio personae succubae sanitati innoxia sit. Affirmatiuam alii tueruntur, quibus adstare videretur experientia tam rarior nostrarum regionum, quam ego saltim nunquam audiuerm, factum hoc subiecto patienti funestum fuisse, quam illorum locorum et temporum, quibus frequentia huius criminis adscribitur. Aliis contra diuersa sententia arridet, eamque non modo delinquentibus nocuam, sed etiam reipublicae damnosam praedicant: quibus nouissime, ut videtur, (mihi enim huius dissertationis copia haud fuit) accessit HARTMANN de paedacatore noxio et infesto reipublicae ciue; mala etiam, ciuitati imminenta nimium saltim exaggerata recenset MICHAELIS *im mosaischen Rechte* §. 258. Verum quod in rempublicam redundare dicitur detrimentum, aliunde originem trahere videtur solumque damnum ipsis delinquentibus metuendum attendi meretur. Hoc si timendum haud sit, pariter leuior poena tantummodo locum inuenier: sin autem corporis laesio accedere possit, grauior poena irroganda est, varia tamen pro qualitate damni dati. Augebit etiam reatum et poenam, si violentia exhibita fuerit, a) III. Congressus foeminarum cum foeminis, siquidem casus dubius habeatur, ex iisdem, quibus sodomia generis, principiis diiudicandus est. Tandem IV. onaniae species inquisitioni et poenae haud subiacere, liquet.

a) A poena capitali etiam abstinet der Entwurf des allg. Gesetzbuches für die Preuß. Staaten, Part. I. Sect. III. Tit. 8. § 861, sqq. poenam ergastuli unius vel aliquot annorum cum relegatione ex loco delicti commissi ad delendam facti memoriam substituens, propter seductionem aliorum exasperandam.

§. 10.




### §. IO.

Iugulationem animalis in sodomia generis primum praescripsit ius Mosaicum, *Leu. XX. 15.*, et postea confirmavit ius Canonicum, *C. 4. c. XV. qu. I.*: eandem tamen plures iam improbarunt, et variis modis restrinxerunt. Ratio legis Mosaicae nos latet, et, quam ius Canonicum suppeditar, inepta est, quem primario poenarum scopoaduersetur, delicti et punitionis memoriam suppressare, ac, si ratio sufficiens reddi posset, aliorum quoque delictorum grauiorum instrumenta flammis tradenda atque abolenda forent. Silentium itaque Nemeseos Carolinae, quorum conditoribus dispositio iuris Mosaici atque Canonici satis nota tuit, sufficere existimo, ut hunc morem negligamus. Animal regulariter aliqualem saltem utilitatem praestabit: eiusque interitus aut iudicem aut quisitum superfluis sumibibus onerat.

### §. II.

Reliqua, quae hanc materiam spectant, ex dictis facilis negotio deriuari poterunt. Si quis nefas ducat, poenam delicti emollire, quod hucusque reliquis fere omnibus foedius habere consueuimus, consideret omnino, vitam atque prosperitatem hominum primaria et legislatoris et iudicis cura dignas esse.



P. P. d. 7. Apr. 1787.





ULB Halle  
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft



B.I.G.



17  
IO. CHRIST. ESCHENBACH,  
PROF. IVR.  
ET ACAD. PRORECTOR,

DIES FESTOS 1787.  
RESVRRECTIONEM  
SALVATORIS MVNDI  
IN MEMORIAM REVOCANTES  
PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.

IVNCTA SVNT  
DVBLIA IN APPLICATIONE ART. CXVI. C. C. C.

O B V E N I E N T I A .



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

